

§. 24. In orbis novi parte exactè rotundos globos militari-  
bus usibus aptos, & à natura formatum pulverem tormentarium  
reperiri, (e) *idem* adstruit.

§. 25. Has impræsentiarum retulisse sufficiat. Ex reliquis  
compendio non paucos complexus est (f) *Gassendus*, cuius verba  
facio mea: Quid commemorem vero lapides: quos inter smarag-  
dus dodecahedrica specie nascitur, Adamas octohedrica, Ame-  
thystus hexahedrica, & Crystallus etiam, non modò quæ paralleli-  
pipedos est, verum etiam quæ in cuspidem coit? sic & apud nos  
creatur Rhomboites, & passim Pyrites tessellatus est, & Specularis  
lamellatus, & Focarius tabellatus, & Cotes etiam id speciale ser-  
vant, ut sint præter formam, longitudine ad latitudinem duplâ.  
Dicerem de Stellatis, Striatis, Cornutis, Conchitis, Ostreitis, Pecti-  
nitis, Stromboitis & cæteris, imò & de Fluviatilibus, aliisque passim  
obviis, etiam de Saxis, Rupibusque quibus, si per tempus liceret, suas  
quoque esse figuras nativas ediffererem. Sed has & plures Curiosus  
apud *alleg. aut.* & præsertim (g) *Kircherum*, Virum, ut in omni, ita  
& hoc scibili versatissimum, & compendiosum earum Catalogum  
apud *Jonstonum* legere poterit, admiratione digna reperturus.

§. 26. Pergo ad figuras, quas in lapidibus fossilibus Comi-  
tatus nostri Mansfeldici inventas esse constat, quas non omnes, ve-  
rum maximè memorabiles adducam. Prima est imago B. Virgi-  
nis, Jesulum filium in ulnis portantis, anno 1637. extracta, quam  
ab Illustrissimo Comite Carolo Adamo Viennam missam, tum me-  
tallifossorum adhuc vita superstitem calculis, tum imaginis hu-  
jus picturâ in linteamine prostante, probatum.

§. 27. Ante annum inventa Angeli figura, qualis vulgò  
pingi solet; quod ex relatione ipsius inventoris mihi compertum.

§. 28. Luthero adhuc in vivis in lapide filii Papæ triplicem  
suâ corona & vestitu solito ornati, imaginem, radiis, sive coloribus  
aureis illustratam, repertam esse, suffragio multorum ocularium  
testium cum sui ipsius reliquit (h) *M. Christophorus Irenæus*.

(e) l. c. p. 242. ex Olao M. prius, posterius ex Petr. Hispan. p. 5. c. 9. & 23. de quo  
& Gesnerus lib. cit. p. 20. (f) In Orat. inaugurali quæ eius Institut.  
Astron. adnexa est p. 176. (g) Integrum ceterum Catalogum lapidum,  
quibus nomen à similitudine rerum quas referant, Lib. 8. Sect. III. cap. 6.  
& Jonstonus in Notitia Regni mineralis p. 60. seqq. (h) Lib. de Mon-  
stris, Sect. 7.